SACRI REGII CONCILII CATHALONIÆ DECISIONES, CRIMINALES, ET CIVILES.

CVM ADDITIVNCVLIS, ET INDICE.

AVCTORE

DON MICHAELE DE CALDERÒ BARCINON.
olim in huiuſce Patriæ Academia, poſt Veſpertinum, Primario iuris Civilis Anteceſſore: deinde in Regia Audientia Civili Cathaloniæ Conſiliario: poſtea Tertiæ Aulæ Doctore, & Fiſci Advocato Regiæ Curiæ: præterea ad Regiam Audientiam Civilem regreſſo, & etiam promoto ad munus Advocati Fiſcalis Patrimonialis, nunc Regente Regiam Cancellariam.

PARS TERTIA.

AD EXCELLENTIS. PRINCIPEM
DOMINVM DON
LVDOVICVM FERNANDEZ
PORTOCARRERO, &c.

Anno ✠ 1701.

CVM LICENTIA BARCINONÆ:

Ex Typographiâ RAPHAELIS FIGVERÒ, in vico Goſsipinorum, Anno vt ſupra.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · SALAMANCA

COELESTIS MILITIÆ PRINCIPIS,
DIVINORVM
EXERCITVVM SIGNIFERI,
ET TOTIVS GENERIS HVMANI
PROTECTORIS
MICHAELIS
ARCHANGELI
PATROCINIVM IMPLORATVR.

COMPLECTITVR præſens ſtudium præcipuas Regalias Principis Secularis, & inter illas eam, quæ circa protegendum miſeros oppreſſos cœlitùs dignitati Regiæ inſita fulget; & cum Glorioſiſsimi MICHAELIS ARCHANGELI Prærogativa præexcellentis præeminentiæ ſit, ab hominum calumnijs ſuos ſervos conſervare, ab eorum qui perſequuntur moleſtijs pios liberare, eos defendere, quibus fit iniuria, & conſolari eos, qui ſunt puſillanimi. (*A*) Conſentaneum habeo aſſequi eius charitativum tutamen (quod obſequioſè imploro) in hoc opuſculo deciſivo edendo; præmaximè quia præſtantiùs quiſque ad aſylum Sanctorum provocari debet, qui eiuſdem Nominis eſt, Nationis, aut Civitatis. (*B*) Et cum (licèt indignè) muniar eius nominis Patrocinio, & in Civitate domicilium foveam, videlicet in Parochia titulari huius amantiſsimi Ducis, in qua Cœleſtis, & Angelica Ædes ſub eius invocatione, mirè miniſtrantibus cœlicolis, reædificata, & ſacrata fuit; inde tutiùs in eius ſublimi præſidio fulcior.

Sed ad maiorem noſtræ Parochialis cultum celebrandum prodigium, quod, vt omnibus chriſtiferis notum red-

(*A*) Pantaleon in encom. S. Michaelis.

(*B*) Pater Nieremberg tom. 3. de devot. Sanctorum, verſ. *Vide ſu bora*, vbi in eodem tom. à fol. mihi 183. plura de patrocinio divini Principis Michaelis.

REGII CONCILII CATHALONIÆ DECISIONES CRIMINALES, ET CIVILES.

PARS TERTIA.

DECISIO CIV.

ARGVMENTVM.

Exponitur littera S. C. T. *ſeſſ. 25. de refor. cap. 3.* Et Conſt. 2. *de invoc. Brach. Sæcul.* vbi etiam agitur de gravitate pœnę excõmunicationis, & ne proferatur pro re minima. Et de diverſa appellatione Brachij Sæcularis, quod invocatur ab Eccleſiaſtico, ad ſibi auxiliandum, pro exercitio ſuæ juriſdictionis. Et de diverſis ſpeciebus brachij, & aſsiſtentiæ Sęcularis, Et quomodo illa concedatur.

SVMMARIVM.

1 *In Eccleſia nulla eſt maior pœna excõmunicatione, & eſt à Domino collata in ædificationem, non in deſtructionem.*

2 *Excommunicatio vibrari non poteſt, ſi alÿs medicamentis res ſanari valet.*

3 *Et non niſi pro peccato mortali.*

4 *Ne ex aſsiduitate amittat authoritatem.*

5 *Nec pro parvis debitis civilibus, vbi S.C.T. expenditur num. 6.*

7 *Excommunicatio ex abrupto non inferatur.*